



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Annvs Diervm Memorabilivm Societatis Iesv. Sive
Commentarius quotidianae virtutis, notabilem vnius, vel
plurium in Societate vitâ functorum, virtute quapiam
insignium memoriam in menses diesque ...**

Nádasi, János

Antverpiae, 1665

XVI. Die Ianvarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9625

matam. Deinde subuculam quando gestabat è lino, astutis ferreis acutisque cilicijs permolestam. Aliud item cilicij genus è minutis veluti forcipibus textum, parvulis ceu canicularum dentibus è ferro inuicem innexis, qui carnem altius penetrarent, ac mordicus acerbe adstringerent. Atq; horum vestigia, etiam in mortui postea caduere cernebantur. Addit eius socius, qui ei comes ibat ad cõciones; mirari se quomodo gestare potuerit cilicinam quondam vestem è fetis contextam, quæ illius etiam brachia vsque ad cubitum, & corpus reliquum ferè vsque ad genua contegebat. Persuasit cuidam de sua Congregatione quam

regebat, vt in tenebris ab eo ab humeris nudus caderetur vsque ad cingulum vndequaque inclementer, capite solo excepto. Et quod ille tertio aliquando fecit intra diem, multis ictuum millibus Deza inflictis, adeo vt id postea sibi religioni duxerit is qui id faciebat. Aliquando petijt, & impetrauit, ab eodem suos humeros ferreis aculeatisque cilicijs perfricari, & lacerari. Atque hoc perfunctum officio Deza veneratus, illi supplex pedes osculabatur, gratiasque impensè agebat. Moriens, *Imus ad aemulatem?* inquit. Et abiit morte planè optabili.

XVI. DIE IANVARII.

P. STEPHANVS BENASSAI.

16. Ian.
Lucensis
Romæ 1620
ætat. 52.

Zelus ani-
matum.

ANte initam Societatem in foro adeo felix fuit, eruditus, & fortis, vt parti aduersæ formidini esset. Paulus V. Pontifex maximus illum ad Archiepiscopatus celsitatem euehere spontè voluit. in Societate quinquagesimum iam ferè annum natus, linguam Illyricam à primis elementis condidit, vt ad Barbaros, id quod sperabat, mittendus, idoneam Euangelio proferendo operam collocaret. Magna illius charitas eluxit in Aegyptijs Romæ doctrinâ Christianâ erudiendis. Centumcellas Decembri pedes vt iret impetrauit: vbi dum Pontificijs triremibus, pestiferâ lue correptis gnauiter omnem operam nauaret, inter expiandos eos, quos ea lues prostrauerat, anhelitu illo retro & peste haustâ correptus, illud ingeminabat ad socios ad quos ad Collegium fuerat deportatus morti

iam proximus: *O benè est, beate est, Patres, in Paradisum in Paradisum imus.* Eodem quo decessit planè tempore, quidam è Societate ad S. Andream apud Nouitios agens, iucundiorum solito lucem in cubiculo suo nocte vidit, & in illa virum in veste candida vultu hilari ac iucundo: in quem dum oculos habet intentos menti P. Stephanus obuersabatur: & breui ex Collegio Romano perscriptum est, Patrem Stephanum obiisse.

Mors.

P. GEORGIVS HOSSE R.

Hic præter alia multifariam nobilia virtutis documenta, illud quoque in more habebat vt post preces canonicas absolutas, illa semper pro felici morte verba è litanijs subiungeret: *A subitanea & improuisa morte libera nos, Domine.* Et verò dum pro more Litanix dicerentur, ille mortem obiit non improuisam.

Germanus
Eberspergæ.
16. Ian. 1621.
ætat 85.

Mors.

Litanie.

XVII. DIE